



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 17. Filii Dei sumu, & ejus spiritus vivendum nobis est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

stant, Judicium, & gehennam, quia à sensibus remota sunt, ita percipimus, ac si ad nos nullo modo pertinerent. Rerum autem, quæ sensibus jucunda & grata sunt, solam superficiem, quæ placet, intuemur, & deplorabili amentia nos felices arbitramur, dum illis momento fruimur, futuri in æternum infelicissimi. Animam esse immortalem nemo ignorat, multique Philosophi doctissima nobis de ejus immortalitate Commentaria reliquerunt, sed de futuro statu animæ suæ post mortem nemo recogitat, nemo sollicitus est, ac si cum corpore interiret. Plerique enim nec ex fide, nec ex ratione vivunt, seclantes temerè quæ sensus appetunt, & ea fugientes, quæ illis molesta sunt, ac si in hac vita nihil aliud agendum sit, nihil in altera timendum.

## §. XVII.

*Filii Dei sumus, & ejus Spiritu vivendum nobis est.*

**S**I quis hoc animo percipere posset, ac jugiter meditaretur se filium Dei esse, pretioso Christi Sanguine redemptum, & in spem Vitæ æternæ regeneratum, hanc solam nobilitatem in pretio haberet, nihilque terrenum sapiens, sola æterna ac Divina mente revolveret, & ad Patrem semper aspirans sic vitam instituire satageret, ut talem filium decet. Sicut in teatro, qui Regis personam agit, tamen actio illa inanis sit, & ad vanam otiosæ plebis delectationem inventa; serio tamen curat, ne quid agat, aut dicat, quod Regis dignitatem dedecet: quanto magis Christiani, qui mortem Domini annuntiant, donec veniat, totis viribus eniti debent, ne quid Christo indignum in verbis & operibus suis appareat? quemadmodum Pictor, ut præclarum opus efficiat, nunquam ab exemplari, quod sibi imitandum proposuit, oculos & mentem avertit: ita Christianus in omni actione, & sermone perfectissimam Christi vitam, & mores tanquam prototypon numeris omnibus absolutum sibi ante oculos ponere, & sic operari, sic loqui, sic vivere debet, ut nunquam ab ejus exemplis declinet. Qui enim dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Spiritus, qui dominatur in nobis, spiritus Adæ est, per quem redacti in servitutem diaboli nobis ipsis,

propriisque commodis firmiter adhaeremus. Quia verò naturâ filii iræ sumus, si ipsam naturam sequimur, omnia opera nostra ex voluntate satanæ, qui nos durissimâ servitute premit, perficientur. Ab hac autem captivitate Christi Sanguine liberati, ex gratiæ principiis operari debemus, ejusque corpori inherere, cujus membra facti sumus. Adam primus homo de terra terrenus fuit; Christus secundus homo de celo celestis. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis (1. Cor. 15: 47.) sollicitè caventes, ne, qui Christiani dicimur, tanti nominis dignitatem pravitate nostrâ perdamus. Si quis spiritum Christi non habet, inquit Apostolus, hic non est ejus (Rom. 8: 9.) Ille autem spiritum Christi habere dicitur, cujus vita interior, & exterior vitæ Christi similis est, qui ad ejus exemplar mores suos componere, atque ita loqui, & operari studet, sicut locutus, & operatus est Christus. Idem alibi monet, ne ambulet homo secundum hominem, ac si diceret, noli ambulare secundum hominem: sed secundum eum, qui fecit hominem; noli deficere ab eo, qui fecit te, ut spiritu ejus imbutus, filius Dei efficiaris. Filius autem Dei esse non potest, qui à spiritu Christi alienus est.

## §. XVIII.

*Justus ex fide vivit.*

**Q**UOD radix arbori, quod fundamentum ædificio, quod rivulus fons, id vitæ Christianæ, cæterisque virtutibus est fides, sine qua impossibile est placere Deo. Ided ab illa Christianæ institutionis exordium sumendum est, dicit enim Scriptura, *Iustus ex fide vivit* (Rom. 1: 17.) Quæ de sapientia, ejusque laudibus, & excellentia magnificis verbis in sacris Libris scripta sunt, (Sap. 7. Job 28.) ad fidem pertinere, & res ipsa docet, & omnium sapientum consensus evincit. *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius. Infinitus thesaurus est, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei. Emanatio est claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, speculum sine maculâ majestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Hæc docet nos, omnem veritatem ostendens anime quid sectari, quid diligere, quid fugere debeat. Docet nos bona hujus mundi mala esse,